furtum ne factum existimetis. Id locum reprehensum qui praeteritus neglegentia est. Nam quod isti dicunt maleuoli homines nobiles eum adiutare assidueque una scribere. quod illi maledictum uehemens esse existimant. eam laudem hic ducit maximam. Cum illis placet. qui uobis uniuersis & populo placent. quorum opera in bello. in negotio. in otio. suo quisque tempore usus est sine superbia. Dehinc ne expectetis argumentum fabule. senes qui primi uenient. hi partem aperient. in agendo partem ostendent. Facite aequanimitas. poete ad scribendum augeat industriam.

In comoediis enim non narrantur res gestae. sed personae loquentes inter se ipsam fabulam agunt.

Incipit primus actus de moralitate senum. scilicet de micionis nimia leuitate et demeae districtione in ciuitate.

Seruus micionis erat storax.

M. I. C. I. O.

STORAX. NON REDIIT HAC NOCTE A CENA AESCHINUS. NEQUE seruolorum quisquam qui aduorsum ierant. Profecto hoc uere dicunt. si absis uspiam. aut ibi si cesses. euenire ea satius est. que in te uxor dicit. & que in animo cogitat irata. quam illa que parentes propicii. Uxor si cesses. aut te amare cogitat. aut tete amari. aut potare. atque in animo obsequi. & tibi bene esse soli. cum sibi sit male. Ego quia non redit filius que cogito. & quibus nunc sollicitor rebus. ne aut ille alserit. aut uspiam ceciderit. aut praefregerit aliquid. Vah. quemquam ne hominem in animo instituere. aut parare quod sit carius quam ipse est sibi. Atque ex me hic natus non est. sed ex fratre. Is adeo dissimili studio est. iam inde ab adolescentia. Ego hanc clementem uitam urbanam atque otium secutus sum. & quod fortunatum isti putant.

Halle Marienbibl. Terenz fol. 64

Halle Marienb... Terenz
fol. 99v

esse positam · qui artem tractant musicam · Ille ad famem hunc a studio studuit reicere · Hic respondere uoluit non lacessere · Benedictis si certasset · audisset bene · Quod allatum ab ipso est · ibi esse id relatum putet · De illo iam finem faciam dicundi mihi · peccandi cum ipse de se finem non facit · Nunc quid uelim animum attendite · Apporto nouam epydicazomenon quam uocant comoediam greci · latini phormionem nominant · Quia primas partes qui aget · is erit phormio parasitus · per quem res geretur maxime · Voluntas uestra si ad poetam accesserit · date operam · Adeste aequo animo per silentium · ne simili utamur fortuna atque usi sumus · cum per tumultum noster grex motus loco est · Quem actoris uirtus nobis restituit locum · bonitasque uestra adiuuans · atque aequanimitas ·

AMICUS SUMMUS meus & popularis geta heri ad me uenit · Erat ei de ratiuncula iam pridem apud me reliquum pauxillulum nummorum id ut conficerem. Confeci · Affero · Nam herilem filium eius duxisse audio uxorem · ei credo munus hoc corraditur · Quam inique comparatum est · hi qui minus habent · ut semper aliquid addant ditioribus · Quod ille unciatim uix de demenso

Condolebat dauus nummularius getam qui sibi argentum dederat ad percunctandum, quod minutum sibi ipse geta egrogauerat & cogebatur totum expendere in nuptiis filii domini sui.

de eo quod sibi demendo diminuerat parce uiuendo